

quelibet persona que emet vel modo aliquo acquisiverit ut dictum est vinum, eadem die vel sequenti comparere debeat coram daciario ad hoc deputato, vel coram procuratore comunis remanente dacio in comuni, et eidem denunciare quod emit // 248 A

- 5 vinum vas vel butisellam vini empti sive acquisiti, ut dictum est, et quantitatem urnarum et tenutam vasi vel butiselle unius vel plurium et personam a quo emit, sub pena libr. v. g. quinquaginta par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et per similem modum venditores sive alienatores ipsius vini denunciare debeant tales emptores sive acquirentes datario predicto vel procuratori, ut supra dictum est et sub eadem¹⁾ pena. ¶ Item quod aliquis forensis a civitate Tergesti non possit nec debeat emere aliquod vas vel butisellam vini unum vel plures pro aliquo cive vel habitatore Tergesti, 15 vel partem habere cum aliquo cive vel habitatore Tergesti de aliqua emptione vini per ipsum empti, sub pena predicta libr. quinquaginta par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta, et nichilominus solvere teneatur dictum dadium unius grossi pro qualibet urna, ut dictum est. ¶ Et si quo tempore sciretur vel inveniretur aliquem contrafecisse in predictis vel aliquo predictorum, cadat ad dictam penam, non obstante aliquo statuto Tergesti quod de commissis tempore alterius potestatis non possit inquiri, et potestas qui pro tempore fuerit teneatur et debeat punire et condemnare inventos contrafecisse ad ipsam penam libr. quinquaginta par., et nichilominus talis contrafatiens ipsum dadium unius grossi pro urna solvere teneatur comuni vel daciario ad hoc deputato, qui esset vel tunc temporis fuisset, quando in predictis fuisset contrafactum. // 248 B
- ¶ Salvo tamen quod, si aliquis civis vel habitator Tergesti 30 acquisiverit vel habuerit aliquod vas vasa vel butixellas vini legatario vel hereditario iure, vel cuiuscunque alterius successionis, pro ipso datio solvere non teneatur nec ad dictam penam sive penas in aliquo teneatur, hoc tamen legitime probato.

¹⁾ eodem.